



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

Disputatio III. De Universalibus in specie & Individuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

nis cognitionem scientificam acquirit, ab Universalibus, sensui vicinioribus, ad Universaliora progreditur.



DISPUTATIO III.

De Universalibus in specie & Individuo.

280. **D**iffertatio de Universalibus in specie alio nomine *Ifagoge Porphyrii* appellatur ab $\epsilon\iota\sigma$ in, & $\alpha\gamma\omega\gamma\eta$ ductio; propterea quod *Porphyrius* Phoenix, qui una cum *Origene* Philosophiæ Platoniciæ sub *Plotino* seculo Christi tertio operam navavit suam, & ex Judæo Christianus, ac rursus ex Christiano Judæus factus est, in *Chrysaorii* discipuli sui gratiam, Tractatum de quinque vocibus, seu prædicabilibus conscripserit, quò perfectius eum in notitiam de prædicamentis Aristotelicis introduceret. Tractatum hunc *Porphyrii* à malè scriptis perpurgatum magni semper fecerunt Philosophi etiam Christiani, ac propter multiplicem utilitatem suam publicis etiam prælectionibus censuerunt dignissimum. Horum iudicio, eruditisque eorum ac doctissimis in *Ifagogen Porphyrii* elucidationibus non possum, si sapere velim, non acquiescere, eis que suffragari. Ne autem, quod intus iudico, verbisque assevero, factis negem, doctrinam

nam Porphyrii ad modernam Philosophiæ scholasticæ methodum in præsentî disputatione proponam, ita tamen, ut omissis iis, quæ catholicæ fidei contraria, ac prorsus absurda in ipsa *Isagoge* consarcinavit, ea solummodò prosequar, quæ utiliter *de numero prædicabilium, eorûmq; naturâ in particulari* complexus est. Postremò subjungam ea, quæ ad notitiâ individui magis necessaria videbuntur.

ARTICULUS I.

De numero Prædicabilium, eorûmq; Univocatione.

281. **N**Ota. Prædicabilia & Universalia hîc idem sonant, licet in se termini magis & minùs communes rectè dicantur; Omne enim Universale prædicabile est, sed non omne prædicabile Universale, ut patet in voce *Deus*. De his in præsentî articulo duo sunt pertractanda. *Primum est*: Quot sint Universalia, non quidem *numero* distincta; quis enim omnia enarrabit? Sed quot sint Universalia differentia *specie*, eaque non *physicâ*, quâ illa solùm differunt, quæ differentes notabiliter habent naturas; sed *specie logicâ*, quâ differre dicuntur illa, quæ in consideratione logica notabiliter disconveniunt. Ecce *statum questionis* in §. primo decidendæ; *Alterum est*: An ratio Universalis prædicabilibus specie logicâ distinctis conveniat *Univocè*? Ecce *statum questionis* in §. altero discutiendæ!

Q 2

§. I.

§. I.

Quot sint Universalia Specie logicâ distincta?

282. *Dico 1.* Divisione tantùm immediatâ rectè duo statuuntur Universalia; alterum *essentiale, accidentale* alterum. *Ratio est.* Tot sunt Universalia, si immediatè dividantur, quot sunt modi immediati essendi in multis, & de iis prædicandi, logicè diversi; sed duo duntaxat sunt ejusmodi modi; ergo. *Major exinde patet;* quia modus essendi & prædicandi de multis, est ratio formalis constitutiva Universalis; definitur enim, *unum aptum inesse, & prædicari de multis.* Ex ratione autem formali rerum, optimè desumitur ratio illarum distinctiva. *Min. prob.* Quidquid inest, & prædicatur de multis, inest, & prædicatur vel ut aliquid *essentiale*, vel ut aliquid *accidentale*; ergo duo duntaxat sunt modi immediati essendi in multis, & de iis prædicandi. *Ita Philosophi complures tum in impressis, tum in manuscriptis.*

283. *Dico 2.* Accedente divisione mediatâ Universalia sunt quinque: *Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens.* *Hæc conclusio ex ipso Aristotele fundamentum habet, & est communissima.* *Ratio est.* Tot sunt Universalia accedente divisione mediatâ, quot sunt modi essendi, & prædicandi de multis tum mediatè, tum immediati, logicè diversi; sed sunt quinque ejusmodi modi; ergo etiam sunt totidem Universalia. *Rationem majoris desume ex n. 282. Prob. min.* Quidquid est in multis, vel inest iis *essentiale*

tialiter, vel *accidentaliter*. Si *essentialiter*; ergo vel inest ut tota essentia, & est *Species*; vel ut pars generalior, & est *Genus*; vel ut pars specialior, & distinctiva, & est *Differentia*. Si inest *accidentaliter*; ergo vel inest necessario, & est *Proprium*; vel inest contingenter, & est *Accidens*. Tot etiam sunt modi prædicandi nimirum metaphysici; Quidquid enim prædicatur, vel prædicatur *in quid*, vel *in quale quid*, vel *in quale*. Si prædicetur *in quid*; ergo vel *in quid completè*, & est *Species*; vel *in quid incompletè*, & est *Genus*; si prædicatur *in quale quid*, est *Differentia*. Si autem prædicetur *in quale*; ergo vel *in quale necessarium*, & est *Proprium*; vel *in quale contingenter*, & est *Accidens*. Ecce quinque modos inessendi & prædicandi! Dixi *suprà hanc conclusionem fundari in Aristotele*; hic enim Universalia definit in ordine ad inesse, & prædicari. Tot igitur ab Aristotelicis statuenda sunt Universalia specie logicâ distincta, quot sunt modi essendi & prædicandi logicè notabiliter diversi.

284. *Obj. 1.* Sunt duo tantum inferiora, nempe species, & individuum; ergo etiam duo duntaxat sunt Universalia. *R. D. Ant.* Sunt duo tantum inferiora, & his *eodem modo* Universale inest, aut de iis prædicatur. *N.* & his *diverso logicè modo* inest, & de iis prædicatur. *C.* Si ais: Omne Universale inest & prædicatur vel *essentialiter*, vel *accidentaliter*; ergo etiam ex modo inessendi duo tantum sunt Universalia. *R. D. Ant.* Inest vel *essentialiter*,

ter, vel accidentaliter divisione immediatâ C. Divisione mediatâ. N. Cur autem fiat divisio mediata, duplex est ratio. 1. Quia sic clariùs elucescit, quo modo inferioribus suis Universalia insint, & de iis prædicentur. 2. Quia aptior est ad finem Logicæ, qui est directio operationum mentis ad scientias comparandas. *Si reponas*, Universalia sunt vel genera, vel species; ergo divisio illa mediata non datur. *Prob. Ant. 1.* Differentia v.g. *Rationale*, prædicatur de hoc vel illo rationali *in quid completè*, eodem modo prædicatur *Proprium* v.g. *Risibile*, de hoc, & illo risibili; ergo *Differentia* & *Proprium* sunt species. R. D. *Conf.* *Differentia* & *Proprium* sunt species respectu suorum inferiorum. C. respectu subjectorum v.g. Petri. N. *Prob. idem Ant. 2.* *Accidens* v.g. *Color* prædicatur de albedine, & nigredine tanquam specie differentibus *in quid incompletè*; ergo hoc pertinet ad genus. R. D. *Conf.* Pertinet ad genus respectu inferiorum. C. respectu subjectorum. N. Respectu quorum subjectorum *accidens* sit quintum prædicabile, *vide infra de accidente*.

285. *Obj. 2.* Non datur Universale, quod non sit species; cum quodlibet Universale constet genere, & differentiâ, adeoque prædicatur ut tota essentia, id quod speciei convenit; ergo datur unicum tantum Universale. R. D. *Ant.* Non datur Universale, quod non sit species saltem *accidentaliter*. C. *essentialiter*. N. Quodlibet Universale concipi ut species potest, &

& de suis inferioribus ut tota essentia prædicari, v. g. Genus de hoc, vel illo genere &c. Verum quod sic concipiatur, speciesque denominetur, hoc illi essenziale non est, sicut essenziale generi est esse genus, differentia esse differentiam &c.

286. *Obj. 3. Aristoteles 3. Top.* Omisâ specie, quatuor duntaxat prædicabilia adducit; ergo non sunt quinque. *R. N. Conf.* Nam ex loco citato nil probatur contra hanc thesin. Quandoquidem *Aristoteles* ibi non agit de Universali incompleto, sed de prædicatis propositionum philosophicarum de subjecto Universali in ordine ad scientias, quæ circa Universalia versantur; omisit igitur speciem, cum hæc de singularibus prædicatur. *Si ais.* Saltem *Proprium*, & *Accidens* non sunt duo diversa specie logicâ Universalia; ergo erunt quatuor tantum. *Probat. ant.* Ex eo quod *Proprium physicum*, v. g. Calor respectu ignis, sit *materialiter* tantum convertibile cum igne; & *Proprium metaphysicum*, v. g. Risibile respectu hominis sit *essentialiter* convertibile cum homine, hæc duo Propria non faciunt duo Universalia; ergo nec *Proprium* & *Accidens* constituent duo Universalia, licet unum prædicetur *in quale necessarid*, alterum *in quale contingenter*. *R. N. Conf. Disp. est:* Quia ad Logicam pertinet præcisè modus prædicandi convertibiliter; cum igitur in hoc citata duo propria non differant, ratio non est, cur duo diversa logicè Universalia constituent. Quod

verò aliquid convertatur materialiter, alterum essentialiter, hoc potiùs ad aliam scientiam pertinet, v. g. ad Physicam. Econtrà modus prædicandi *necessariò & contingentè* pertinet ad Logicam; modus enim prædicandi *necessariò*, est modus prædicandi de omnibus individuis ejusdem speciei; v. g. *Omnis homo est visibilis*. Modus autem prædicandi *contingenter* non concernit individua omnia, ut patet in hac prædicatione: *Aliquis homo est literatus*. Quis igitur neget modos hos esse logicè diversos, & diversa constituere Universalia?

287 *Obj. 4.* Sunt decem prædicamenta; ergo decem quoque sunt prædicabilia. *R. N. Conf. Disp. est:* Quia prædicamenta sumuntur ex modis essendi physicis, quorum sunt decem, infrà, ubi de prædicamentis agetur, referendi. Econtrà diversitas specifica Universalium desumitur ex diversis logicè modis essendi metaphysicis, quorum sunt quinque tantùm. *vid. n. 283. Si ais.* Diversus modus prædicandi, sequitur diversum modum essendi; ergo si decem sint modi essendi, etiam decem erunt modi prædicandi. *R. D. Ant.* Sequitur modum essendi *logicè* diversum *C. Physicè* diversum. *N.* Nempe modus prædicandi diversus sequitur modum essendi desumptum à diversâ prædicati cum subjecto connexionè, quæ secundùm dicta n. 283. quintuplex est. *Si reponas.* In quolibet prædicamento est aliquod prædicabile à prædicabilibus in aliis prædicamentis distinctum; ergo sunt decem prædicabilia.

bilia. R. D. *Ant.* Distinctum *materialiter*. C. *formaliter*. N. Prædicabile *materialiter tale* est res ipsa, quæ prædicatur. Prædicabile *formaliter tale* præter rem dicit modum, quo res ipsa prædicatur, qui modus duntaxat quintuplex est. *Si urgeas.* Genus supremum prædicatur de multis genere differentibus; Genus infimum de multis specie tantum differentibus. Species subalterna prædicatur de multis specie differentibus, & numero; Species verò infima prædicatur de multis numero tantum differentibus; ergo modus prædicandi non tantum quintuplex est. R. D. *Ant.* Et hi prædicandi modi *accidentaliter* duntaxat differunt. C. *essentialiter* differunt. N. Ratio essentialis, distinguens Genus à specie, est, quòd genus prædicetur *in quid incompletè*; species autem *in quid completè*, & *ut tota essentia*. Ità pariter differentia *Generica* v. g. *Sensitivum*, & *Specificum* v. g. *rationale* accidentaliter tantum differunt; cum utraque prædicetur *in quale quid*, quæ est ratio essentialis differentia. Idem dic de Proprio *Generico* & *Specifico*, quæ pariter in ratione essentiali *Proprii* conveniunt, i. e. prædicantur *in quale necessariò*.

288. *Obj. s.* Dantur prædicationes ad allatos quinque prædicandi modos non reducibiles; ergo. *Prob. ant.* Adducendo varias prædicationes. *Prima est.* *Petrus est ens, est unum, est aliquid.* R. Hæ prædicationes reducuntur ad genus, cum ens ejusque attributa genera sint. *Secunda est:* *Hoc animal est animal;* item

Qs

Homo

Homo est animal rationale. R. Hæc prædicationes pertinent ad speciem, eoquòd prædicatur in iis tota subjecti essentia. *Tertia est: Animal est homo.* R. Hæc, & similes inordinatæ prædicationes spectant ad accidens; nam logicè animali accidit, esse hominem. Item reducitur ad accidens hæc prædicatio: *Homo est species*, cùm naturæ humanæ àb extrinseco adveniat, quòd denominetur species. Item hæc: *Deus est homo*; licèt enim τὸ *homo* non prædicetur *adjectivè* de Deo, *contingenter* tamen de Deo affirmatur. Si autem dicas: *Christus est homo*, prædicabis speciem, cùm prædicatum explicet unam naturam Christi specificam. *Quarta est: Rationale est animal.* R. Hæc pertinet ad Proprium, si τὸ *rationale* *adjectivè* & *formaliter* accipiatur; quia licèt animal non sit de essentia rationalis sic accepti, ei tamen necessariò convenit. Idem dic ad hanc propositionem: *Homo est Persona*, in qua prædicatum se habet ùt proprium physicum, eoquòd simpliciter separari possit à natura humana, ùt patet in Christo. Si verò in prima propositione *rationale* sumatur *realiter* & *substantivè*, erit prædicatio generis; cùm faciat hunc sensum: *Homo est animal.* *Quinta est: Petrus est individuum.* R. Hæc rursus est prædicatio Proprii. *Sexta est: Christus est Deus.* Item *Petrus est hic homo.* R. Hæc & similes prædicationes huc non spectant, ubi quæritur de modis prædicandi termini communis; in allatis autem propositionibus prædicatum est terminus singularis.

§. II.

An Universale ut sic, formaliter tale, respectu quinque Universalium in specie sit univocum?

289. *Dico. Est univocum. Ratio est: Quia prædicatur de quinque Universalibus secundum idem nomen, & eandem rationem; de quolibet enim Universali in specie verè dicitur, quod sit unum aptum inesse, & prædicari de multis, abstrahendo à modo essentiali vel accidentali, quæ est ratio essentialis Universalis ut sic. Confir. hæc conclusio autoritate plurimorum Doctorum. D. Thomas. 1. p. q. 2. a 7. in ☉. hæc habet: Dicendum, quòd Universale dupliciter sumi potest, vel pro natura subjecta intentioni, vel pro ipsa intentione Universalitatis. . . . Si accipiatur secundo modo, est ens rationis, & univocè prædicatur de quinque Universalibus. P. Sylvest. Maurus q. 38. Sic ait: Sicut omnia animalia conveniunt in hoc, quòd sint animal, differunt verò, quòd homo est animal rationale, equus est animal binnibile; sic omnia prædicabilia. . . . Conveniunt in hoc, quòd sunt prædicabilia de pluribus, differunt verò per diversos modos prædicandi. Ita Conimbricenses. q. 7. in Præfat. Porphyrii. a. i. Ita Toletus & alii, quos in doctissimis suis elucubrationibus sequuntur RR.*

290. *Obj. Ex hac conclusione sequeretur, Universale constituere sextum Universale, in quantum nimirum prædicatur de quinque Universalibus. R. N. Sed Universale sic acceptum redu-*

redu-

reducitur ad genus. *Si ais.* Genus nequit prædicari de Universali; ergo nec Universale ad genus reduci potest. *R. D. Ant.* Nequit prædicari de Universali *essentialiter*. *C. accidentaliter & denominativè.* *N.* Hæc propositio: *Universale est genus*, est accidentalis; eoquod quærenti, *quid est Universale ut sic?* Non rectè responderes: *est genus*; sed deberes dicere: *Universale ut sic est unum aptum inesse, & prædicari de multis, præscindendo à modo essentiali vel accidentali, quo inest, vel prædicatur.* Verùm hæc propositio: *Genus est Universale*, est essentialis; quia in hæc genus prædicatur de sua specie; sicuti in hæc prædicatione: *Homo est animal.* Hinc etiam quærenti, *Quid est Genus?* aptè respondes, *est Universale.*

291. *Inst.* Si Universale respectu quinque prædicabilium foret genus; ergo genus, quod est primum prædicabile, esset species; sed genus nequit esse species; ergo. *R. D. Sequel.* Genus &c. esset species *sub eadem abstractione*, sub quâ est genus. *N. Sub diversâ abstractione.* *Subdist.* Genus essentialiter sumptum esset species *denominativè, & accidentariò* *C.* esset species *essentialiter.* *N. D. etiam min.* Genus essentialiter tale nequit esse species essentialiter. *C.* nequit esse species *accidentariò, & denominativè.* *N. Explico.* Dum à genere, specie &c. essentialiter acceptis (h. e. secundùm suas essentias, quas habent sub cognitione faciente genus aut speciem &c.) abstraho Universale,
tunc

tunc Universale ut sic fit *superius* quinque prædicabilibus essentialiter acceptis, & respectu illorum fit *accidentaliter genus*; ipsa autem quinque prædicabilia fiunt *accidentaliter species*. Si verò hoc ipsum Universale ut sic cum sua cognitione genereizante, sive essentialiter considerans, illud cum reliquis generibus essentialiter talibus misceam, & alia rursus abstractione rationem generis abstraham, tunc genus ut sic fit *species accidentaliter*; ipsum verò Universale ut sic, & reliqua genera partialia fiunt accidentaliter individua logica, & inferiora. Ex his

292. *Collige* I. Idem respectu ejusdem superius esse potest, & inferius; sed sub diverso respectu, & ratione diversarum abstractionum. II. Genus ut sic definiri quidem non potest per aliud genus ut sic; definitur tamen per aliud genus particulare, quale est *Universale*. III. Datur genus superius genere generalissimo non quidem in eadem, sed in linea diversa. Hæc judico sufficere in hac materia ut plurimum speculativâ. Plura qui desiderat, consulat *P. Lingen*, *P. Wietrowsky*, *Conimbricenses*. &c.

ARTICULUS II.

De primo Prædicabili, sive Genere.

293. **P**ORPHYRIUS in sua *Isagoge* triplicem adducit generis acceptionem; capite enim I. sic habet: *Dicitur genus, & aliquorum*
bomi-

hominum aggregatio, qui quidem ad unum quippiam & inter se habent respectum. Quâ significatione Heraclidarum dicitur genus, quod quidem ex respectu, qui est ab uno, i. e. Hercule, & multitudine eorum, qui inter se eam habent conjunctionem, quæ ab illo profluxit, sic est nuncupatum, ut ab aliis generibus sit sejunctum. Dicitur & alio modo genus unius cujusque principium, ortus, tam ab eo, qui genuit, quam à loco, in quo est quispiam ortus; sic enim Orestem quidem à Tantalo, Hylum autem ab Hercule dicimus genus habere: & rursus Pindarum quidem Thebanum genere, Platonem autem Atheniensem dicimus esse. Alio modo dicitur genus id, sub quo species collocatur. Acceptâ fortasse similitudine à prioribus vocabuli ejus significatis. Nam & principium quoddam eorum, quæ sub se habet genus, tale est. Sic ille. De prima & secunda acceptione generis, quæ potiùs ad Oratores Poëtas & Historicos pertinent, hîc quæstio non est, ut rursus ipse Porphyrius insinuat; sed solum de tertia, quæ propriè Philosophica est. Porrò genus hoc Philosophicè acceptum rursus triplex est 1. *Prædicamentale*, quod in aliquo prædicamento locum habet. 2. *Transcendentale*, quod omnia prædicamenta transcendit, ut *Res*, *ens* &c. 3. *Supertranscendentale*, quod admittitur ab iis, qui entia rationis ab omni ente possibili, & negationes à positivis distinctas admittunt; talia sunt *cognoscibile*, *imaginabile* &c. Hîc agerur tantum de genere prædicamentali, ac proponetur
primò:

primò: Quid sit, & quotuplex. Secundò: An salvari possit in unica specie? Tertio: Quomodò tum de speciebus, tum de individuís prædicetur?

§. I.

Quid sit Genus, & quotuplex?

294. Dico 1. Genus à Porphyro, Cap. 2. in *Isag.* benè definitur sic: *Est, quod de pluribus specie differentibus hoc ipso quid est prædicatur.* Hanc definitionem bonam esse probat ratio duplex; 1. est, quòd omni & soli generi conveniat; id quod hucusque nullus adhuc evertit. 2. est, quòd nihil superflui in se complectatur, ut in explicatione illius infra ponendâ probabitur. *Confirmant eam Aristoteles lib. 1. Top. Cap. 4. D. Thomas. Tract. de Universal. Cap. 1. & Authores passim.* Observant quidem Conimbricenses, quòd in data definitione verba hæc: *hoc ipso quid est*, præferenda sint verbis illis: *de pluribus specie differentibus*; eoquòd differentia, quæ definitum à rebus, à quibus magis distat, separat, in definitione accommodata priùs ponenda sit, quàm illa differentia, quæ definitum separat à rebus, à quibus distat minùs. Verùm per hoc bonitati datæ definitionis nihil derogatum volunt; licèt enim genus magis distet à Differentia, Proprio & Accidente (à quibus differt per τὸ hoc ipso quid est) quàm à specie (à quâ separatur per τὸ specie differentibus) ipsi tamen Conimbric. citatam definitionem non solum
ut

ut bonam, sed etiam ut accommodatam tueretur, non quidem ordine positionis, sed ordine intelligentie. Sequitur

295. *Explicatio definitionis Porphyriana.*
Primò. Definitum est natura generica, vel affecta denominatione generis, v.g. Animal secundum esse, quod habet in intellectu. *Ratio est:* Quia id definitur, quod abstractum est à speciebus, & aptum est prædicari de illis ut quòd; sed natura generica, sive genus ut concretum, dicens naturam & genericitatem, abstractum est à speciebus, & aptum est de illis prædicari, ergo. *Vid. P. Aler Tract. 1. Disp. 3. Cap. 1. §. 3. & 4.* *Secundò.* Genus definitionis est, quod prædicatur de pluribus, sive *Universale.* *Tertiò.* Differentia sunt reliqua subsequenta, nimirum τὸ *specie differentibus;* per quæ verba differt à specie, quæ prædicatur tantum de differentibus solo numero. Perinde autem est, sive illa specie differentia sint ipsæ diversæ species. ut *Equus & Homo,* sive contineantur sub diversis speciebus, ut *Plato & Bucephalus.* Ad differentiam prætereà, spectant illa verba: *hoc ipso quid est;* per hæc enim verba genus differt à Differentia, Proprio, Accidente, quæ prædicantur in quale. *Si postules, quid hoc sit, prædicari hoc ipso quid est?* R. Illud sic prædicatur, quod aptè redditur ad quæstionem, quid sit res? *Si ulterius inquiras, quid ergo ad hanc quæstionem aptè reddatur?* R. Illud, quod duo hæc complectitur: ut sit *essentiale rei,* de qua quæ-
 ritur,

ritur, quid sit? & ut prædicetur *substantivè*, h. e. *per modum substantis*, non autem *adjectivè*, h. e. *per modum adjacentis*. Cape hoc in exemplo: Genus v. g. *Animal* aptè redditur ad quæstionem, quid sit homo, vel Petrus? tum quia dicitur ut aliquid *essentiale*, cùm ad speciei & individui constitutionem pertineat; tum quia se habet per modum *materiæ subsistentis & sustinentis differentiam*. Econtra differentia v. g. *Rationale* non aptè redditur ad quæstionem, quid sit homo, vel Petrus? licèt enim sit aliquid *essentiale*, prædicatur tamen ut aliquid *adjacens generi* v. g. *Animali*, & hinc non prædicatur *simpliciter in quid*, sed *in quid cum addito*, sive *in quale quid*. Si denique desideres regulam, quâ dignoscas, quid prædicetur *adjectivè*, & quid *substantivè*, hanc accipe: Si *subjectum est concretum*, aut *saltem minùs connotativum*, prædicatum autem sit *connotativum*, tunc erit *prædicatio in quale*, ut hæc: *Homo est rationalis*, in quâ *rationale* saltem *fusè* est connotativum: Dico *fusè*; quia non omninò *accidentaliter* dicitur de homine. Si verò prædicatum & subjectum vel *æquè concreta*, vel *abstracta* sint, erit *prædicatio in quid*; ut si dicam: *homo est animal, album est coloratum*.

296 *Obj. 1.* In allata definitione generis omisa est particula *incompletè*; ergo bona non est. R. Benè omisa est; hoc ipso enim quod genus prædicetur de differentibus specie, prædicari non potest in quid *completè*, cùm entia specie

R

dif-

differentia eandem habere essentiam non possunt, nisi incompletè; igitur hæc particula in definitione Porphyrii videtur superflua.

297. *Obj. 2.* Ens per accidens definiri nequit; sed genus est ens per accidens, consurgens ex natura, & genereitate; ergo definiri nequit. *R. D. Maj.* Definiri nequit definitione unicâ explicante naturam singularum partium seorsim. *C.* Explicante naturam totius ex utraque parte consurgentis. *N.* Deinde allatum axioma intelligendum tantum est de entibus, quæ fiunt per accidens, i. e. casu, fortuito, quæ certam & cognitam causam non habent. *Inst. 1.* Si genus definiri possit, ergo per aliud genus, & hoc rursus per aliud & sic in infinitum. *R.* Si abstractionibus ejusmodi defatigare te velis, per me licet; sed cave, ne cerebro tuo noceas. Consultius ageres, si ad cognoscibile saltem deveniens acquiesceres, quod describitur quidem, definiri autem strictè non potest. *Inst. 2.* Si genus definitur per aliud genus, ergo definitum ingreditur definitionem. *R. N. Sequel.* Definitur enim genus essentialiter tale per genus accidentaliter tale. *vide etiam dicta n. 291.*

298. *Obj. 3.* Definitio allegata convenit etiam accidenti; ergo non est bona. *Prob. Ant.* Color est accidens; sed definitio allegata convenit colori; ergo. *R. D. Maj.* Color est accidens respectu subjectorum. *C.* respectu inferiorum specierum. *N.* de his enim prædicatur in quid. *Si ais.* Pars nequit prædicari

dicari de toto; ergo genus, quod est pars speciei, nequit prædicari de specie, quæ est totum. *R. D. Ant.* Pars physica: C. Pars metaphysica. *Subdist.* in abstracto. C. in concreto. N. Cur autem pars physica de toto prædicari non possit, sicut pars metaphysica, ratio est, quia pars physica realiter inadæquatè à toto distinguitur, non autem metaphysica. Cæterùm, quomodò genus de specie prædicetur, *Vid. §. 3. hujus art.* Si reponas Genus prædicatur etiam de pluribus genere differentibus; item prædicatur de pluribus numero differentibus; quæ non exprimuntur in data definitione; ergo non est bona. *R. N.* hæc ponenda esse in definitione generis ut sic: aliàs nec omni, nec soli generi conveniret. Inprimis non conveniret omni; eoquòd non conveniret generi infimo v. g. *Animali*, quòd tantùm prædicatur de specie differentibus, v. g. *Equo & Homine*, quæ tamen genere unum sunt, cum idem habeant genus. Deinde non conveniret soli, cum etiam species prædicetur de differentibus numero. *Si urgeas.* Saltem genus non prædicatur *in quid*. *Probas ex Arist.* qui *cap. de substantia* inquit, substantias secundas sive Universales non significare propriè *quid*, sed *quale*. Idem genus vocat specierum formam; forma autem prædicatur *in quale quid*. *R. N. Assert.* Aristotelem explico cum distinctione: Dicit substantias Universales non significare propriè *quid*, i. e. substantias primas, quas propriè *quid* vocat. C. alio sensu,

fensu. N. Deinde genus vocat formam, quæ significatur per modum per se stantis, quod est totum potentiale respectu specierum; non autem vocat formam, quæ significatur per modum adjacentis.

299. Dico 2. Genus ut sic dividitur in *supremum*, quod in linea prædicamentali non habet genus supra se, ut *substantia*. Tot igitur sunt genera suprema, quot sunt prædicamenta, nimirum decem. In *medium* sive *subalternum*, quod supra & infra se genus habet, ut *corpus*, *vivens* in linea prædicamentali substantiæ. In *infimum*, quod infra se genus nullum habet, ut *Animal* in eadem linea substantiæ. De his observa 1. *Supremum* & *medium* vocantur genera remota, nimirum respectu speciei infimæ. *Infimum* autem genus proximum nuncupatur. 2. *Superius* illud dicitur, quod latius & ad plura inferiora se extendit. *Inferiora* autem (quæ etiam *partes subjectivæ* dicuntur) respectu generis sunt species, & respectu speciei individua.

§. II.

An Genus salvari possit in Unica specie?

Status questionis est de genere formaliter tali, an nimirum in casu, quo unica tantum species, v. g. *homo*, esset possibilis, alia verò animalia forent impossibilia, an, inquam, in hoc casu genus, v. g. *Animal*, salvaretur, i. e. maneret genus, eique definitio in §. præcedente explicata conveniret?

300. *Dico.* Non salvatur. Ita Aristoteles.

4. Top. cap. 3. his verbis. *Quoniam inspiciendum autem omnis generis plures species; inspiciendum, si non contingit alteram speciem esse dicti generis. Nam si non est, manifestum, quoniam non erit genus omnino, quod dictum est.* Ita etiam D. Thomas 1. p. q. 3. a. 7. & Alii. *Ratio est:* Quia unicâ tantum specie possibili genus prædicari non posset de pluribus specie differentibus, in quo tamen essentia generis sita est, ut ex definitione illius patet. Accedit, quod genus, utpote superius latius extendi debeat, quam species; sed non extenderetur latius, si unica tantum species foret possibilis; ergo.

301. *Obj. 1.* Unicâ tantum specie possibili genus prædicaretur adhuc in quid incompletè; ergo adhuc salvaretur ratio generis. *R. D. Ant.* Prædicaretur in quid incompletè de specie differentibus, ut exigit ratio generis. *N.* Prædicaretur simpliciter in quid incompletè. *C.* Adde, quod in tali casu animal non prædicaretur ut pars determinabilis, & logicè indifferens; sed necessariò connecteretur cum differentia speciei possibilis. *Si ais.* In casu, quo solus homo foret possibilis, ille haberet adhuc prædicata sua essentialia, quæ nunc habet; ergo Animal in illo casu foret adhuc genus, sicut modò. *R. D. Ant.* Haberet adhuc prædicata sua materialiter, & quoad rem. *C.* formaliter, & quoad modum. *N.* Nimirum haberet adhuc prædicatum *Animal*, sed non

esset genus. *Si reponas.* Animal abstractum à unico individuo hominis, reliquis tamen speciebus possibilibus, erit verè genus; ergo erit pariter genus, si à unica specie possibili, reliquis impossibilitatis, abstrahatur. *R. N. Conf. Disp. est:* In priori casu animal æquivalenter abstrahitur, ab omnibus, à quibus abstrahi potest, & manet verè prædicabile de specie differentibus. Secus est in casu posteriori.

302. *Obj. 2.* Unicâ tantùm formâ physicâ possibili materia physica non amittit rationem materiæ & partis determinabilis; ergo nec genus amittet rationem generis & partis determinabilis, licet unica species foret possibilis. *R. N. Conf. Disp. est:* Materialitas, & determinabilitas materiæ sita est in hoc; quòd tanquàm aliquid complebile, physicè indifferens sit ad constituendum cum forma compositum, vel non: tota autem hæc ratio materiæ adhuc manet in casu posito. Econtrà ratio generis, & determinabilitas ejus consistit in eo; quòd sit aliquid magis commune, indifferens ad plures species, & per unam differentiam ad hanc speciem contrahibile, per aliam ad illam: quæ ratio generis, casu, quo Unica species foret possibilis, certè non maneret.

§. III.

Quomodò genus tum de Speciebus, tum de individuis prædicetur?

303. *Nota 1.* Genus considerari potest, vel prout complectitur genus & differentiam, & sic est *Totum actuale*. Vel quatenus in se po-

ten

rentiâ continet species inferiores, tanquàm partes subjectivas, & sic est *Totum potentiale*. vel prout cum comparte sua constituit actu speciem, & sic est *Pars actualis*; ùt si animal consideretur, prout cum rationali actu constituit hominem. Si denique consideretur, prout potest constituere speciem, *Pars potentialis* dicitur.

304. *Nota 2.* Individua alia dicuntur *completa*, quæ totam essentiam speciei, & individuationem exprimunt, v. g. *Petrus, hic leo*. Alia *incompleta* vocantur, quæ exprimunt quidem individuationem, non tamen totam speciei essentiam, suntque prædicata vel generica, vel differentialia specierum, v. g. *Hoc animal, hoc rationale*. *Status questionis est* 1. Quomodo genus, dum de specie prædicatur, se habeat quoad denominationes generi convenientes, & in notamine primo positas? 2. An genus de utrisque individuis prædicetur *immediate*, vel *mediate*? An *ut genus*, an *ut species*?

305. *Dico 1.* Genus non prædicatur de specie *ut pars actualis*, sed ex communi loquendi modo prædicatur *ut totum potentiale*. *Ratio primi est*; quia nulla pars, *ut talis*, in recto prædicari potest de toto, cum nulla pars sit idem cum toto, sive illud ipsum, quod est totum; sed est tantùm pars totius. *Ratio secundi est*; quia prædicatur *ut quid superius*, quod quidem actu partes suas non continet, habet tamen sub se inferiora, in quæ tanquàm partes subjectivas dividi potest; sed quod sic præ-

dicatur, prædicatur *ut totum potentiale*; ergo. *Dixi: Ex communi loquendi modo*; nolo enim per $\tau\theta$ *ut significare*, quod prædicetur genus cum statu, quod in thesi de actuali prædicatione jam aliquoties negavi.

306. *Obj. 1.* Genus prædicatur *ut pars materialis*; ergo *ut pars actualis*. *R. D. Ant.* *ut pars materialis actualis*. *N.* *ut pars materialis potentialis*. *T.* Si enim velis, quod genus prædicetur *ut pars potentialis*, hoc sensu: quasi prædicatio generis de specie terminaretur *ad rationem formalem partis*, *ut potest cum differentia componere speciem*; tecum non sentio, qui per datam distinctionem aliud nihil intendo, quam prædicationem terminari ad partem *secundum se*, quæ exercitè potens fit cum differentia componere speciem. *Si ais: Genus prædicatur in quid incompletè*; ergo *ut pars actualis*. *R. D. Ant.* Prædicatur in quid incompletè quoad modum prædicandi. *N.* quoad rem prædicatam. *Subdist.* Si hæc consideretur, prout substat actuali prædicationi. *N.* Si per cognitionem aliam cum differentia tanquam comparte suâ, vel cum specie, quam constituit, comparetur. *C.* Genus quoad modum prædicandi prædicatur per modum totius, cum prædicetur substantivè, & in actuali prædicatione de specie Universale maneat, *ut probatum est in Disp. precedente.*

307. *Obj. 2.* Genus est Compositum actuale; ergo prædicatur *ut totum actuale*. *R. D.* *Conf.* Prædicatur *ut totum actuale secundum se*,

se, & respectu suū. C. respectu speciei. N.
Si ais: Genus non complectitur omne id,
 quod habet species; ergo de specie non præ-
 dicatur ut totum. R. D. *Conf.* Non prædica-
 tur ut totum specificum. C. ut totum generi-
 cum, sine statu tamen. N.

308. *Dico 2.* De utrisque individuis genus
 prædicatur immediatè, de completis quidem
 ut genus; de incompletis autem ut species. *Ra-
 tio primi est:* quia genus immediatè abstrahi
 de utrisque individuis potest; ergo potest etiam
 immediatè de illis prædicari. *Prob. ant.* Pos-
 sum cognoscere in Petro vel Bucephalo *animal*,
 quin cognoscam *rationale*, vel *irrationalè*.
 Item possum in individuis incompletis cogno-
 scere v. g. *Animal*, quin cognoscam hæc cei-
 tatem; ergo. *Confir.* *Animal* v. g. his indivi-
 duis immediatè inest; nam Petrus v. g. imme-
 diatè est homo, & consequenter etiam imme-
 diatè est id, quod est homo, scilicet animal
 rationale; ergo etiam immediatè de iis prædi-
 cari potest. *Ratio secundi est:* Illud prædica-
 tur ut genus, quod prædicatur de pluribus
 specie differentibus in quid; & illud prædica-
 tur ut species, quod prædicatur ut tota essen-
 tia subjecti; sed quando genus, v. g. *Animal*,
 prædicatur de individuis completis, v. g. Pe-
 tro & Bucephalo, prædicatur de pluribus spe-
 cie differentibus in quid; & quando prædica-
 tur v. g. *Animal* de individuis incompletis, si-
 ve de hoc & illo animali, prædicatur ut tota
 essentia subjecti; ergo genus de individuis

completis prædicatur ut genus; de incompletis autem ut species. Accedit, quod hoc & illud Animal, in ratione præcisa animalis, non differant specie, sed numero tantum; ergo genus de individuis incompletis prædicari nequit ut Genus.

309. *Obj. 1.* Inter genus & individua mediat species; ergo genus non prædicatur immediatè de individuis. *R. D. Ant.* Mediat in linea prædicamentali, & mediatione subsistendi consequentiâ. *C.* extra lineam, & mediatione subjecti. *N. h. e.* Dum dico: *Petrus est animal*, *τὸ animal* non subjectatur prius in homine tanquam aliquo tertio, quo mediante subjectetur deinde in ipso Petro; sed Petrus est subjectum immediatum animalis. Propterea tamen animal non prædicatur de Petro immediatè *immediatione subsistendi consequentiâ*, cum animal non probetur immediatè per Petrum, sed alia consequentia intercedere debeat; Non enim solemus sic argumentari: *Petrus est; ergo animal est.* Sed sic: *Petrus est; ergo homo est: homo est; ergo animal est.* *Si ais:* Non datur transitus immediatus à gradu supremo ad infimum; ergo nec genus tanquam gradus supremus prædicari immediatè potest de individuo tanquam gradu infimo. *R. D. Ant.* In gradibus materialibus, & physicè distinctis *C.* in formalibus formaliter tantum distinctis *N.* Hujus autem ratio ulterior est, quia omnes gradus formales immediatè sunt in individuo, quod intrinsecè constituunt, & simul omnes im-

immediatè ab eo singularizantur; ergo etiam immediatè de eo prædicari possunt, cum modus prædicandi sequatur modum essendi. Econtra gradus materiales supremi non continentur in infimo.

310. *Obj. 2.* Genus definitur in ordine ad species, non ad individua; dicitur enim prædicabile de multis specie differentibus; ergo etiam prædicatur immediatè de speciebus tantum. *R. N. Ant.* Cum individua quoque differre possint specie, ut Petrus & Bucephalus. *Si ais:* Sequeretur, genus non differre à specie; cum speciei proprium sit prædicari de individuis completis. *R.* Adhuc satis differt, ut inspicienti utriusque definitionem satis patebit.

ARTICULUS III.

De secundo Universalis, sive Specie,

PORPHYRIUS de specie sic orditur: *Species autem dicitur quidem & de unius cujusque forma, quâ significatione dici solet, præstantissimam formam dignam esse imperio. Dicitur autem & de eo, quod sub assignato genere collocatur* Insuper hoc etiam pacto species est id, quod de pluribus differentibus numero, hoc ipso quid est, prædicatur. His triplicem insinuat speciei acceptionem. Prima non est hujus loci, quare illam hic intactam relinquemus, unâ cum specie, quæ prætextum aut simulationem Logicis incongruam significat, de qua *Virg. lib. 2. Æneid.*

neid.

neid. sic: *Non tulit hanc speciem furiosa mente Choræbus.* Secunda verò & tertia speciei acceptio ad Logicam pertinet. De specie logicè accepta proponemus 1. Quid sit, & quotuplex? 2. An salvari possit in unico individuo?

§. I.

Quid sit species, & quotuplex?

311. *Dico 1.* Species logicè accepta, comparata ad genus, quod habet suprâ se, dicitur *species subjicibilis*: hæc sic definitur à Porphyrio: *Est id quod subjicitur generi, scilicet immediate & directè.* Per $\tau\omicron$ *immediate* differt ab individujs, quæ etiam subjiciuntur generi, sed mediatè tantùm. Per $\tau\omicron$ *directè* differt à differentia, quæ indirectè & in linea laterali generi subjicitur. Ex his advertes, genera omnia in aliquo prædicamento sub genere supremo posita esse species subjicibiles, relatè ad superiora, quibus subjiciuntur.

312. *Obj.* Genus non est notius specie, cum genus ipsum definiatur in ordine ad speciem, tanquàm aliquid notius; ergo species malè definitur per genus. *ita Cajet.* R. 1. Ipse Cajetanus docet, illa solùm in definitione notiora esse debere definito, quæ ipsi sunt intrinseca, cujusmodi non est unum relativum alteri, quale est v. g. species relatè ad genus. Id ipsum insinuat Albertus M. in *Tract. de Relat.* cap. 9. ubi ait: *Unum relatam non definiri per aliud, sed ad aliud; juxtâ cujus mentem negari*

negari posset suppositum consequentis. R. 2.
 D. ant. Non est notius, si non præsupponatur
 cognitio generis ante speciem C. si præsuppo-
 natur, & species cognosci non possit, nisi co-
 gnito prius genere. N. Si ais. Saltem fieret
 circulus vitiosus in data definitione; Nam ge-
 nus dicitur, cui supponuntur species; & spe-
 cies dicitur, quæ supponitur generi. R. N.
 hunc circulum vitiosum esse; genus enim &
 species correlativa sunt, quæ propter mutuam
 ordinem inter se collata lucem sibi mutuò af-
 ferunt. Foret autem vitiosus, si fieret in ab-
 solutis, ob rationem contrariam. Si reponas:
 Dum dico: *Petrus est animal*, individuum im-
 mediatè subjicitur generi; ergo data definitio
 non convenit soli speciei. R. D. ant. Imme-
 diatè subjicitur in ordine ad prædicationem
 quandam, C. in linea prædicamentali, de quâ
 subjectione hîc agitur. N. Si urgeas. Homo
 est species substantiæ, cui tamen immediatè
 non subjicitur. R. Satis est, quod alicui ge-
 neri immediatè subjiciatur.

313. Dico 2. Species logicè accepta, com-
 parata ad individua, de quibus prædicari po-
 test, dicitur *species prædicabilis*. Hanc Por-
 phyrius sic definit: *Species est id, quod de plu-
 ribus differentibus numero, hoc ipso quid est præ-
 dicatur. Genus hujus definitionis est Universale*,
 quod prioribus verbis indicatur. Reliqua
 obtinent locum *differentiæ*, sic, ut per hæc ver-
 ba: *hoc ipso quid est*, species differat à *Diffe-
 rentia, Proprio, & Accidente*; per illas verò
 par-

particulas: *Differentibus numero*, fecernatur à genere: Ubi tamen velim subintelligas sequentia: *Solo numero*, vel *proximè*, *sive completè*. Aliàs speciem non satis distingues à genere, quod etiam de pluribus numero differentibus prædicatur, sed non *tantùm*, nec *completè*.

314. *Obj.* Posset aliquis cognoscere genus in ordine ad unicam tantùm speciem, & ignorare, illud de aliis quoque speciebus prædicari, & consequenter id prædicaret de solo numero differentibus; ergo hoc genus prædicationis non convenit soli speciei. *R.* Ejusmodi deceptio nihil officit definitioni speciei; stante enim hâc deceptione, id est vera species, quod de solo numero differentibus prædicatur. *Si ais.* Ex supposito, quod duæ animæ rationales informarent materias specie diversas, alteram cælestem, sublunarem alteram; de his etiam non solo numero differentibus posset homo prædicari; ergo species posset prædicari etiam de iis, quæ non solo numero differunt. *R.* Ex supposito, quod cælum rueret, multæ caperentur alaudæ. *Si instes:* Dum dico: *Homo est species, Equus est species*, τὸ species prædicatur etiam de differentibus specie; ergo. *R.* *D. ant.* τὸ species, i. e. hic terminus prædicatur de differentibus specie. *C.* i. e. objectum per hunc terminum significatum, v. g. natura equina, prædicatur &c. *N.*

315. *Dico 3.* Dividitur prætereà species in *subjicibilem tantùm*, quæ etiam *subalterna* dici potest, & est illa, quæ generi subjicitur, sub

se autem non individua, sed species habet, ut *Corpus, Vivens, Animal*. In *Prædicabilem tantum*, quæ supra se non habet genus, nec aliam speciem infra se, sed individua duntaxat. Talis est *Rationale*, respectu suorum inferiorum, hujus scilicet & illius rationalis. In *Prædicabilem & subjicibilem simul*; hæc etiam *Species infima, atoma, seu specialissima* nuncupatur, estque illa, quæ subjicitur quidem generi, sed alias sub se species non habet, ut *Homo*. In hac specie juxta effatum Platonis subsistendum est, eoquod individua ejus sint infinita. Hinc non immerito speciei huic subscribes illud: *Hic jabet Plato quiescere.*

316. *Reflexio I.* Species subjicibilis formaliter sumpta, & ut talis præcisè, non est Universale saltem positivè; eoquod non sit quid superius, nec ordinem ad inferiora dicat. Propterea tamen singularis dici nequit; cum formaliter accepta ab utroque hoc prædicato præscindat. *Nec obstat*, quod inferius participet prædicata superioris; hoc enim intelligendum tantum est de iis prædicatis, quæ superiori essentialia sunt; non autem de iis, quæ superiori accidunt. *Si contendas*, Universale esse prædicatum essentialia generi. *R.* Est quidem essentialia generi *ut tali*, signatè, & in suppositione simplici accepto; essentialia autem non est generi, *quod tale est*, & sumpto in suppositione personali. Genus autem non participatur à speciebus *ut signate genus est*, sed *ut exercitè natura genus est*. II. Species sub-

jici,

subijcibilis *specificativè* accepta, & *quæ* talis est, in creatis est *Universale*; Sic enim vel *genus* subalternum est, vel *species prædicabilis*, quæ ambo *Universalia* sunt. Dixi *in creatis*; Deus enim licet *species subijcibilis* sit, *prædicabilis* tamen esse non potest. III. Ex his *consectaneum* est, quod *species prædicabilis* pro *secundo Universali* ritè assignetur. IV. Allata ex *Porphyrio* *speciei prædicabilis definitio* bona est, cum nihil *superflui* complectatur, & *omni ac soli definito* conveniat; prætereà *utilis* est, & *speciem* benè *explicat*, ut *usus hucusque* in *scholis* probavit; illi proinde hinc *acquiescimus*, sive *descriptiva* sit, ut cum aliis P. Aler. contendit *Tract. 1. Disp. 3. Cap. 2. §. 1.* Sive *quidditativa*, ut videtur probare P. Lynceus *lib. 9. Dial. Tract. 1. à Cap. 1. usque ad 3.*

§. II.

An species salvari possit in unico individuo?

317. *Nota.* Thomistæ quidam docent, quod *species spirituales*, v. g. *naturæ Angelicæ*, numero sint *immultiplicabiles*; eoquod *materia* careant. Contendunt nihilominus in *ejusmodi individuis* *salvari speciem*, i. e. *naturam* v. g. *Michaëlis*, cui juxta ipsos *reputat multiplicari physicè*, esse *speciem prædicabilem*, & *logicè Universalem*. Duplex igitur hinc est *status questionis*: 1. An *naturæ Angelicæ* sint *immultiplicabiles numero*? 2. An *natura unica*, *immultiplicabilis numero*, possit esse *species*, ut est *secundum Universale*, & *totum potentiale*?

318. *Dico 1.* Naturæ Angelicæ non sunt numero immultiplicabiles. Ita *S. Bonavent. Scotista, & nobiliores Thomista, Ferrara, Bannes, Capreolus, Soncinas, Favellus, Vasquez, Suarez &c.* Ratio est 1. Quia animæ rationales, & Personæ divinæ carent materiâ, & tamen numero multiplicabiles sunt; ergo & Angeli, licet materiâ careant. 2. Nulli creaturæ repugnat habere sibi simile; ergo nec Angelis, qui etiam creaturæ sunt. 3. Hoc potissimum argumento ex ratione deducto probatur unitas Dei, quod propter infinitam perfectionem suam sibi simile habere non possit; ergo id creaturæ tribui nequit. 4. *D. Thomas. 1. p. q. 14, a. 1. in ©.* docet, Deum esse in summo gradu immaterialitatis, quia, ut alibi tradit, nulla est in Deo potentialitas. Ex quo sic infero: ergo quæcunque sunt aliquo modo in potentia, illa participant aliquid de ratione materiæ, saltem analogicè. *Subsumo:* Sed Angeli habent aliquid potentialitatis; ergo & aliquid materialitatis. Ergo ex ipso *D. Thoma Thomistarum* fundamentum ruit, consequenter & thesis. Hoc argumentum benè urget *P. Semery in Log. Disp. 3. q. 3. a. 2. & a. 1. ex D. Thoma aliud adducit.*

319. *Obj.* Ex Aristotele contrarium eruitur. R. mirum non est; nam, utpote ethnicus naturas Angelicas non penetrans, admisit, quod omnis individuationis principium sit materia affecta quantitate. *Si ais:* Individua multiplicantur ob conservationem naturæ; cum igitur

Angeli incorruptibiles sint, multiplicari non possunt. R. 1. Etiam animæ rationales sunt incorruptibiles, & tamen multiplicabiles. R. 2. Nihil implicat, quominus Deus ob alium finem multiplicare possit naturas incorruptibiles. Plura de hâc materia, quam hîc occasionaliter tantum attigimus, qui desiderat, legat P. Semery *loc. suprâ cit.* & P. Aler. *Traët. 1. Disp. 3. c. 2. §. 3.*

320. *Dico 2.* Natura unica numero immultiplicabilis nequit esse species; sive, quod idem est, species nequit salvari in unico individuo possibili. *Ratio est:* Species prædicabilis, seu universalis est unum aptum prædicari de pluribus numero differentibus in quid; sed natura ab unico individuo possibili abstracta non est prædicabilis de pluribus numero differentibus; ergo. *Prob. min.* Tum quia plura numero differentia essent impossibilia; tum quia de Paulo & cæteris prædicari nequit ille homo, qui terminat cognitionem abstrahentem rationem hominis à solo v. g. Petro possibili; cum homo abstractus in hoc casu non est alius homo, nisi solus Petrus; igitur affirmari nequit de non Petro. Adde, quod juxta multos Thomistas genus non salvetur in unica specie; ergo nec species in unico individuo. *Confirmant* hanc conclusionem Ant. Ruvius *q. 4. cap. 3. de specie.* Gabriel Boyvinus *1. p. Log. Sect. 2. c. 2.* P. Suarez *Disp. 5. Metaphys. Sect. 2. n. 28.* Ariaga *Disp. 7. Log. Sect. 3. Subs. 2. n. 42.* ubi ait: *Aded certum videtur ex ipsa definitione speciei requiri pluralitatem individuorum, ut à nemine id*

in dubium revocatum fuisset, nisi Cajetanus pro opposita opinione stetisset contra mentem Angelici Doctoris, qui 1. p. q. 53. a. 9. in ☉ expressè docet, nomen D^Eus esse incommunicabile, ideòque non universale, nisi summum in sententia eorum, qui fingunt plures Deos.

321. *Obj. 1.* Natura abstracta àb unico individuo possibili non est singularis; ergo universalis erit. *R. D. ant.* Non est singularis formaliter, i. e. non concipitur ut singularis. *C.* non est singularis radicaliter, quia est immultiplicabilis, & determinata ad unum individuum. *N. D. etiam Consf.* ergo erit universalis ad summum negativè, h. e. non cognoscitur singularitas. *C. positivè,* h. e. erit apta inesse multis. *N. Si ais:* Natura abstracta àb unico individuo possibili posset definiri, & contineret genus & differentiam; ergo foret species prædicabilis. *R. 1.* Etiam Deus & individuum continet definitionem, quin propterea sit species prædicabilis. *R. 2.* Continet genus & differentiam incommunicabilem. *C.* communicabilem. *N. Si reponas:* Talis natura saltem conditionatè posset esse in multis, si nimirum plura individua essent possible. *R.* Ergo erit quoque conditionatè tantum universalis, & species, quod totum concedo. Sic pariter Deum posses facere universale, & quid non?

322. *Obj. 2.* Natura in tali casu foret communicabilis pluribus per rationem, prout multa similia concipi possunt, quasi essent similia. *R.* Hoc esset fingere universale, vel speciem,

non autem facere, ut aliquid in se fit universale, vel species. *Si ais*: D. Thomas hoc universale asserit, dum universale dividit in universale *secundum rem*, & *secundum rationem*. *R.* Hæc divisio nihil favet Thomistis; eoquod D. Thomas per universale *secundum rem* nihil aliud intelligat, quam illud, quod actu habet inferiora, ut *homo*; per universale autem *secundum rationem* illud intelligit, quod quidem actu plura inferiora non habet, habere tamen potest, ut *Sol Luna* &c. quæ exempla ipse Doctor Angelicus adducit Tract. 2. de universalibus, & p. 1. q. 13 a 9. in \odot . *Si reponas*. Permissâ Thomistarum hypothesei Michaël & Gabriel adhuc differrent specie; ergo in quolibet salvaretur species. *R.* D. *ant.* Differrent specie physicâ & materiali. T. Logicâ & formali. N. Dixi: *Transseat*; inquirere enim, an Angeli specie differant, non est hujus loci.

323. *Observanda* de specie adhuc sunt sequentia. I. Species perfectior est genere formaliter spectato; species enim est tota essentia rei, genus autem est tantum pars essentiæ. *Nec obstat*, quod genus sit totum actuale, & suam quoque differentiam includat; nam species præter differentiam suam etiam totum genus includit, v. g. homo non modò rationale, sed etiam vivens sentivum complectitur; genus autem non includit totam suam speciem. II. Rem specificari *intrinsecè* ab altera, nil aliud est, quam illam ab altera constitui *intrinsecè* secundum essentiam, quod fieri potest vel *secundum essentiam*

tiam physicam, sic homo specificatur intrinsecè à corpore & anima; vel secundùm essentiam metaphysicam, sic idem homo specificatur intrinsecè àb animali & rationali. III. Res dicitur specificari *extrinsecè* àb alia, quando res quædam essentialiter respicit aliam, & per ordinem ad illam aliam cognoscitur secundùm speciem, vel essentiam; sic cognitio, cujus essentia explicari nequit nisi per ordinem ad suas causas, & objectum, dicitur àb iis specificari extrinsecè. IV. Dum Aristoteles *in categ. cap. de Subst.* inquit, *genera & species prædicari in quale quid*, nihil aliud intendit, quàm quòd substantiæ secundæ sive universales, significant essentiam secundùm aliquam ejus qualitatem, quæ est communitas. V. Species est posterior genere, non physicè, sed logicè, & subsistendi consequentiâ.

ARTICULUS IV.

De tertio universali, sive Differentia.

Porphyrus de differentia agens duo præstat. Inprimis varias illius divisiones proponit, dein totidem definitiones assignat. Hæc ipsa hîc exponam, simulque resolvam 1. Respectu quorum differentia tertium universale dici possit? 2. An differentia inferior includat formaliter superiorem, vel genus, quod dividit? quæ duæ quæstiones viris de Philosophia genuina, orbeque literario optimè meritis nunquam non utiles visæ sunt.

§. I.

Quid & quotuplex sit Differentia, & quo respectu sit tertium universale?

324. Dico 1. Differentia ut sic est *prædicatum*, quo unum differt ab alio. Ita Porphyrius, & Philosophi communiter: *Ratio est*, quia differentia est forma sive actus rei; sicut autem juxta commune effatum, *Potentia*, sive *materia confundit*, ita *forma sive actus separat, & distinguit*. Ex hoc advertes tot esse differentias, quot sunt formæ. Hinc

325. Dico 2. *Differentia* (verba sunt Porphyrii) & *communiter*, & *proprie*, & *propriissime dicitur*. *Differentia communis* est accidens, quo unum differt ab alio, aut à se ipso contingenter, ut *Petrus albus à Petro nigro*; *Socrates à se ipso puerò vir factus*. *Propria* est, quâ unum differt ab alio necessariò, vel inseparabili accidente. Sic homo differt per *visibile* &c. *Propriissima* est, quâ unum ab alio essentialiter differt, ut *rationale*. *Propriissima*, servit ad definiendum, & dividendum. *Definitio* enim per genus fit, & differentiam maximè propriam; Genus autem dividitur in suas species per differentias essentielles. *Communis & Propria* ad describendas res, assignandasque dissimilitudines valent. Ex his simul intelliges, quod communis *separabilem*, propria verò & propriissima *inseparabilem differentiam* contineant. Præterea differentia propriissima *ratione muneris* dividitur in *divisivam generis*, & *constitutivam speciei*. *Divisiva generis* est, quæ tanquam

quam pars formalis metaphysica dividit, h. e. contrahit, & determinat genus tanquam partem materialem & indeterminatam ad certam speciem; sic *rationale* determinat *animal* ad esse hominis. *Constitutiva speciei* est, quæ tanquam pars formalis metaphysica & determinans cum genere constituit speciem, ita ut speciei essentialis sit, non autem generi. Sic *rationale* constituit *hominem*. Denique *ratione eorum, de quibus prædicatur*, in genericam & specificam dividitur. *Generica* est, quæ prædicatur de pluribus specie differentibus, ut *sensitivum*. *Specifica* est, quæ de pluribus numero tantum differentibus prædicatur, ut *rationale*. Alii hanc ultimam divisionem sic explicant: Differentia *generica* constituit speciem subalternam, *specificam* infimam.

326. Dico 3. Differentia, ut est tertium universale, est *unum aptum prædicari de pluribus specie, vel numero differentibus in quale quid*. Est hæc definitio desumpta ex Porphyro. Qui tamen *τὸ vel numero* omisit, id quod authores quidam ipsi vitio vertunt; alii verò, quos citat hic P. Lynceus, eum defendunt, & benignè explicant. Quòd posita modò definitio legitima sit, probatur rursus ex eo, quòd conveniat differentię *omni*, scilicet tam genericæ, quàm specificæ; & *soli*, eoquòd præter differentiam nihil est, quod prædicatur *in quale quid*. Per *τὸ quale* à Genere & Specie distinguitur; per *τὸ quid* à Proprio & Accidente. Prædicari autem *in quale quid*, est prædicari in

S 4

quale

quale essenziale, h. e. in quæstione facta, qualis sit res essentialiter. Convenit autem differentiæ, prædicari *in quale quid*, & non simpliciter *in quid*, quia, licet pars sit essentialis speciei, quam constituit, prædicatur tamen per modum adjacentis, cum sit actus metaphysicus determinans genus ac modificans; modificare autem & determinare munus est formæ adjacentis, & qualitatis. Ex hac ratione differentia ab Aristotele dicitur qualitas, sed essentialis. *vid. dicta n. 295.*

327. *Obj.* Differentia constare nequit genere; hoc enim est ratio conveniendi, differentia autem est ratio disconveniendi; nec constare potest differentiâ, aliàs hæc secunda differentia rursus constaret aliâ, & sic deinceps in infinitum, adeoque non dabitur differentia ultima; ergo definiri nequit. *R. N. ant.* Quoad utramque partem. *Rationem primam D.* Differentia directè cognita est ratio disconveniendi. *C. reflexè cognita. N.* sic enim consideratur ut aliquid prædicabile de aliis, & cum aliis prædicabilibus convenit. *Ad rationem alteram R.* quòd differentia definiatur per aliam, quæ sit terminus notior, idque tamdiu, quamdiu termini notiores reperiuntur. Cæterum differentia ultima non inde nomen hoc accipit, quòd definiri non possit; sed quòd ultimò dividat genus. *Si ais.* Saltem differentia nequit prædicari *in quale quid*; quia aliàs prædicaretur essentialiter, & accidentaliter, substantivè, & adjectivè, quod videtur implicare. *R. D.*

R. D. assert. nequit prædicari *in quale quid* conjunctim. N. *in quale* Et *quid* divisim. C. Prædicari *in quid tantum*, est prædicari essentialiter substantivè; & prædicari *in quale tantum*, est prædicari accidentaliter adjectivè. Verùm prædicari *in quale quid conjunctim*, est prædicari essentialiter, sed per nomen adjectivum, quod certè non implicat, sicut juxtà plurimorum sententiam non implicat, eundem actum esse scientiæ, fidei & opinionis simul, licèt scientia tantum, fides tantum &c. simul esse non possit.

328. Dico 4. Differentia non est tertium universale respectu generis, quod dividit, nec respectu speciei, quam constituit; sed respectu inferiorum generis, aut speciei; h. e. si differentia sit *generica*, erit tertium universale respectu specierum, quas genus sub se continet, ut *sensitivum* respectu *hominis* & *bruti*. Si sit *specificata*, erit tertium universale respectu individuorum speciei, ut *rationale* respectu *Petri* & *Pauli*. *Ratio primi est*: Universale quæ tale superius esse debet respectu illius, respectu cujus est universale; sed differentia, v. g. *rationale*, non est quid superius respectu generis, v. g. *Animalis*, quod dividit, cum hoc latius pateat, quàm *rationale*; ergo respectu illius nequit esse universale. Adde, quod de tali genere differentia non prædicetur *in quale* quid, sive essentialiter; cum animali logicè accidentale sit, esse *rationale*. *Hac ipsa est ratio secundi*: Nam *homo*, quem constituit *rationale*,

nale, æquè latè patet, ac ipsum rationale, & convertibiliter cum eo prædicatur. *Ratio tertii est*, quia respectu assignatorum inferiorum est quid superius, & de iis prædicatur ut pars formalis *in quale quid*.

329. *Obj. 1.* Dum differentia prædicatur de specie, v. g. rationale de homine, prædicatur illa in quale quid. *R. Concedo. Infers*, ergo ut universale. *R. N. Illat.* Prædicatur quidem ut pars formalis determinativa essentialis, sed non ut quid superius, igitur nec ut universale. *Si ais:* Dum dico: *Homo est rationalis*, rō rationale non involvit singularitatem; ergo erit universale. *R. D. Conf.* erit universale respectu subjecti, sive hominis, de quo prædicatur. *N.* respectu hujus & illius rationalis. *C. Si inferas.* Ergo differentia universale quoque est respectu suorum inferiorum, quod videtur esse contrà conclusionem. *R. D. illat.* Est universale secundum, sive species respectu suorum inferiorum. *C.* Est universale tertium respectu suorum inferiorum. *N.* Nimirum rationale respectu hujus, & illius rationalis prædicatur *in quid completè*, adeoque ut species; hinc autem non agitur de specie, sed de tertio universali, quod *in quale quid* prædicatur.

330. *Obj. 2.* Differentia tantum respectu generis superioris prædicatur in quale; nam huic tantum adjacet: Sic *rationale* adjacet *animali*, non autem *Petro*, cui essentialis est; ergo tantum respectu generis prædicabilis est ut diffe-

differentia. R. N. ant. cum ejus probat. Nam hæc prædicatio: *Animal est rationale*, non ad tertium, sed ad quintum universale, sive ad accidens refertur. Deinde rationale adjacet etiam Petro, quia animali alteri comparti, quæ est in Petro, adjacet. *vide etiam dicta n. 327.*

331. *Observa I.* Divisio, quâ animal dividitur in rationale & irrationale, non est divisio generis in suas species, sed subjecti in sua accidentia; quia nostro concipiendi modo animali per accidens est, quòd contrahatur ad rationale, aut irrationale. Nec benè dicitur genus dividi in suas differentias, sed per differentias in species. II. *Differentia infima, sive atoma, & subalterna, sive media* non constituunt duo universalia specie logicâ distincta; eoque eundem habeant prædicandi modum, scilicet *in quale quid*. Est autem *differentia atoma*, quæ non habet differentiam infra se, & cum specie atoma convertitur. *Differentia subalterna* est, quæ mediat inter supremam, & infimam, & convertitur cum specie subalterna.

§. II.

An Differentia inferior formaliter includat superiorem, vel genus, quod dividit?

332. *Nota.* *Differentia inferior* est prædicatum differentiale paucioribus commune, ut *rationale* commune solis hominibus. *Superior* est prædicatum differentiale pluribus commune, ut *sensitivum*, quod & hominibus & brutis convenit. Prætereà extrâ controversiam est,

est,

est, differentiam inferiorem præsupponere superiores; sic nullum est rationale vel irrationale, quod non sit sensitivum saltem præsuppositivè. Nec disceptatur, an differentia inferior complectatur differentias superiores, & genera in sensu & statu reali; constat enim rationale realiter, & adæquatè sumptum esse animal, vivens, sensitivum &c. *Status proinde questionis* solùm hic est: An differentia inferior inadæquatè sumpta in recto formaliter includat genus, quod dividit, aut differentiam superiorem, ita, ut formari non possit conceptus differentię inferioris, v. g. *rationalis*, quin genus, aut differentia superior, v. g. *animal*, aut *sensitivum*, in eo exprimatur in recto, & dici verè possit, *rationale v. g. formaliter est animal, rationale formaliter est sensitivum?*

333. *Dico.* Differentia inferior non includit formaliter genus, quod dividit, nec differentiam superiorem. Est communior. *Ratio primi* est; quia *rationale* v. g. in suo conceptu formali id solùm dicit, per quod homo superat, & excedit animal; sed illud per quod homo superat, & excedit animal, non involvit formaliter ipsum animal; ergo. *Confir.* Ex genere & differentia fit compositio metaphysica; consequenter genus & differentia sunt partes compositi metaphysici; sed partes se invicem formaliter non includunt; ergo. *Ratio secundi* est; quia aliàs *rationale* v. g. & *irrationale* convenirent in aliquo attributo, v. g. in
sen-

sensitivo, cùm illud àb utroque includeretur; sed hoc dici non potest, quia rationale & irrationale sunt differentiæ ultimæ, quæ inter se adæquatè diversæ esse debent. *Confir.* Si rationale v. g. includeret *sensitivum*, ergo includeret quoque *vivens*; si *vivens*, ergo *animal*, quia hoc nil aliud est, quàm *vivens sensitivum*; sed hoc dici nequit ex ratione primi; ergo.

334. *Obj. 1.* Differentia est tota rei essentia, ut inquit Arist. ; ergo includit genus. R. D. *ant.* Est tota rei essentia *formaliter constitutivè*. N. Tota *determinativè & completivè*. C. Differentia tanquam pars formalis determinans genus ad certam speciem, dicitur tota rei essentia, h. e. pars ejus præcipua. *Si ais:* Differentia definitur; ergo includit genus. R. D. *Conf.* Genus, quod dividit, respectu cuius est ultima ratio differendi. N. Per quod definitur, & intrinsecè constituitur, quod est *principium*, respectu cuius fit species. C. *Si reponas:* Divisum continetur in membris dividendis; sed genus est divisum, differentiæ inferiores sunt membra dividenda; ergo. R. D. *maj.* Continetur in membris dividendis *ut quod*. C. in membris dividendis *ut quo*. N. Species sunt illa membra, *in quæ fit divisio generis*; differentiæ autem sunt membra, *quibus, sive per quæ fit divisio*, ut n. 331. jam insinuavi. *Si urgeas.* Inferius in suo conceptu formaliter includit superius; ergo & differentia tanquam inferius, formaliter includit genus utpote superius. R. D. *ant.* Si inferius ponatur directè
in

in linea recta sub superiori. C. Si indirectè & in linea laterali ponatur. N. Hujus distinctionis ratio ulterior est hæc: Quia inferiora in linea recta prædicamenti posita sunt tota, & species respectu superiorum, ex quibus componuntur; totum autem formaliter includit suas partes, cum nihil aliud sit, quam suæ partes simul sumptæ. Econtrà posita in linea laterali differentia sunt, quæ non componuntur ex aliis, sed ipsæ cum generibus componunt alia. *Si inferas.* Ergo rationale formaliter non erit substantia, & consequenter erit accidens. R. Rationale formaliter nec est substantia, nec accidens; sed ab utroque præscindit, & est præcisè differentia alicujus, cui adjacet. Hinc nec est substantia, nec accidens, nec ens &c. *in recto*, sed hæc omnia *in obliquo* tantum involvit, h. e. Rationale formaliter est taleitas substantiæ, taleitas accidentis &c. Idem respondeas, si dicatur, quod curvitas, & similia concipi non possint sine quantitate; intellectivum à se, & ab alio, sine intellectivo. Nam etiam ejusmodi formæ formaliter nil aliud sunt, quam taleitates quantitatis, taleitates intellectivi &c.

335. *Obj. 2.* Rationale hominis in conceptu suo formali differt à rationali Angeli; ergo debet includere sensitivum. R. N. *Conf.* Quod nimirum debeat includere sensitivum *in recto*. Cæterum satis adhuc differt 1. eoquod rationale hominis realiter & adæquatè sumptum dependeat à sensibus, non item rationale Angeli. 2. Quod rationale hominis formaliter & inadæquatè

æquatè sumptum præscindat à sensibus; rationale vero Angeli neget sensus. *Inst. 1.* Ratiocinari est formaliter vivere; ergo rationale includit formaliter vivens, & consequenter genus. & D. *Ant.* Ratiocinari *adequatè*, & materialiter sumptum est formaliter vivere. C. *Inadequatè*, & differentialiter sumptum. N. *Ratiocinari adequatè sumptum* dicit duo, nimirum actionem vitalem, & immanentem, deinde taleitatem, quæ est modificatio actionis vitalis. *Ratiocinari inadequatè spectatum* dicit tantum taleitatem. Pariter solve hæc argumenta 1. Anima rationalis est formaliter sensitiva, & vegetativa. 2. In linea prædicamentali quantitatis differentiæ lineæ, superficiæ, Corporis includunt quantitatem, quia nequeunt concipi sine extensione in longum, latum & profundum. &c. *Inst. 2.* Homo est vivens formaliter; ergo & partes ejus. & D. *ant.* Homo sumptus tam secundum genus, quam secundum differentiam. N. Sumptus quoad genus tantum C. Homo quoad rationale tantum non est formaliter vivens; cum enim sit modificatio viventis, illud in obliquo tantum connotat.

336. *Obj. 3.* Saltem rugibile includit formaliter sensitivum. *Prob.* Rugibile est principium sensationis; ergo includit formaliter sensitivum. *Prob. ant.* Rugitus est formaliter sensatio; ergo illius principium, quod est rugibile, est principium sensationis. & N. *ant.* Rugitus enim formaliter est tantum modifica-
tio

tio sensationis, cujus principium est rugibile. Hoc ut intelligas, adverte, quòd rugitio (idem de reliquis ejusmodi operationibus dicendum) habeat formalitatem *vitalitatis*, *sensationis*, & *actionis leoninae*; quatenus *actio vitalis* est, principium illius est vivens, ut *sensatio* est, principium ejus est *sensitivum*, in quantum verò *talis sensatio* est, vel *actio leonina*, *rugibile* ejus principium dicitur, quæ tria principia non quidem materialiter, sed formaliter tantum distinguuntur, sicut & tres dictæ formalitates. *Inst. 1.* Ex hoc sequeretur, quod sonus similis rugitui, quem dæmon in cadavere leonis ederet, non differret à rugitione leonis formaliter sumptâ. *R. N. Sequel.* Rugitio enim leonis præsupponit, & connotat sensationem, cum sit forma metaphysica sensationis, ei tanquam subjecto metaphysico nostro concipiendi modo superveniens, eamque determinans, ut sit propria leoni; hæc autem sono à dæmone edito non conveniunt. *Inst. 2.* Rugibile nec est, nec concipi potest sine sensatione; ergo est formaliter sensitivum. *R. D. ant.* Rugibile *adequatè & materialiter* sumptum. *C. inadquatè & differentialiter* sumptum. *Subd.* Nec est, nec concipi potest sine sensitivo tanquam connotato præsupposito. *C.* tanquam prædicato formaliter constitutivo. *N.* *Inst. 3.* Rugibile definitur per sensitivum; ergo. *R. D. ant.* ut præcisè differentia, & taleitas est. *N.* ut species est. *C.* ut rugibile differentia præcisè & taleitas est, nequit definiri per prædicata ejusdem

dem lineæ v. g. substantiæ. *Inst. 4.* Hic syllogismus in *Darapti* bonus est: *Omnis leo est formaliter sensitivus; omnis leo est formaliter rugibilis; ergo aliquod rugibile est formaliter sensitivum.* Ergo rugibile formaliter includet sensitivum. *R. N. ant.* Quia habet quatuor terminos; nam medium semper sumitur inadæquatè secundùm diversas formalitates; in *major* quidem $\tau\delta$ leo sumitur, *ut simpliciter animal*; in *minore* verò sumitur *ut tale animal, sive rugibile.* Si autem sic ponatur præfatus syllogismus: *Omnis leo, quòd tale animal, est formaliter sensitivus; omnis leo, quòd tale animal, est formaliter rugibilis; ergo aliquod formaliter rugibile, est formaliter sensitivum;* erit quidem bonus vi formæ, sed negatur major. *Inst. 5.* Et probas consequentiam in superiore syllogismo negatam, illum reducendo per impossibile sic: *Nullum rugibile est formaliter sensitivum; omnis leo est formaliter rugibilis; ergo nullus leo est formaliter sensitivus.* *R. N. rursus Cons.* Nam & hic syllogismus habet quatuor terminos, cùm minus extremum in *minore* sumatur *inadæquatè*, in conclusione autem *adæquatè.* Ecce syllogismum primo syllogismo tuo similem falsum: *Omnis homo est anima; omnis homo est corpus; ergo aliquod corpus est anima.* Ecce quoque similem reductionem falsam: *Nullum corpus est anima; omnis homo est corpus; ergo nullus homo est anima.* Adverte præterea, quod Adversarii nobiscum negent, quod

T

diffe-

differentia superior, aut genus formaliter includat differentiam inferiorem; igitur citatus in instantia quarta syllogismus primus retorqueri posset sic: Omnis homo est formaliter rationalis; omnis homo est formaliter animal; ergo aliquod animal est formaliter rationale.

337. *Reflexio ad præcedentes §§. I. Negativum nequit esse differentia entis positivi; differentia enim est pars constitutiva, negativum autem constituere nequit ens positivum. Hinc advertes, quòd irrationale, immortale, infinitum & similes differentiae non sint quid negativum quoad rem; sed quòd tantum quoad captum nostrum negativè explicentur. II. Et genus, & differentia à tota enitate physica desumuntur; hæc enim considerata ut aliis similis dat intellectui fundamentum abstrahendi genus; considerata ut aliis dissimilis dat fundamentum abstrahendi differentiam. III. Differentiae non suscipiunt magis & minus, cum essentiae consistant in indivisibili, nec intensionem aut remissionem admittant. IV. Differentia, dum definitur, fit species subjicibilis extrapredicamentalis. V. Exinde, quòd differentiae ponantur in predicamento substantiae, non bene infertur, quòd sint substantiae formaliter; ad hoc enim, ut aliquid poni in predicamento substantiae possit, sufficit, quòd realiter sit substantia. Excipe ea, quæ in linea recta substantiae collocantur. VI. Dum Aristoteles ait, differen-*
tias

tias superiores includi in inferioribus, & de iis prædicari posse, intelligendus est de differentiis inferioribus realiter, aut materialiter, non autem formaliter spectatis; aliàs homo v. g. formaliter conveniret, & disconveniret cum bruto per rationale, quod certè Aristoteles nullibi docuit. Adhæc data explicatio satis manifestè colligitur ex 4. Top. cap. 2.

ARTICULUS V.

*De quarto Universali, sive Proprio,
& quinto, sive Accidente.*

§. I.

*Quid & quotuplex sit Proprium, & respectu
quorum sit quartum universale?*

338. **D**ico 1. Proprium latissimè sumptum dici potest illud prædicatum, quod alicui rei aliquo modo peculiare est, & quandam cum essentia connexionem habet. *Strictè sumptum rectè dicitur accidens necessariò fluens ab essentia; vel ut inquit Arist. 1. Top. cap. 4. Proprium est, quod non declarat reâ essentiam, soli autem inest, & conversim prædicatur de re.* Ex his advertes ad proprium requiri hæc duo: 1. ut adveniat essentiæ jam completæ, & in suo esse constitutæ; hinc dicitur *accidens*. 2. Debet subjectum vel essentia exigere, & emanare illud, & cum eo converti: ex hac ratione non dicitur *accidens com-*

mune, sed *accidens proprium*. Porphyrius quatuor adducit propria, quæ vide in Dialect. P. Du Trieu. *Tract. 1. p. 2. cap. 3. a. 2.* Dividitur prætereà in physicum, & metaphysicum. *Physicum* est, quod physicè àb essentia fluit, & connaturalem cum ea connexionem habet, ut *calor in igne*. Hoc proprium realiter àb essentia distinguitur, cum saltem supernaturaliter àb ea separari possit. *Metaphysicum sive logicum* est, quod secundum nostrum concipiendi modum necessariò fluit àb essentia metaphysica, quod, licet de primo conceptu, seu essentia rei metaphysica non sit, rei tamen realiter identificatur, ut *visibile*. Hoc nequidem supernaturaliter àb essentia abesse potest: unde natum est illud effatum Philosophis admodum familiare: *Qui tollit proprietates, tollit essentiam, consecutivè scilicet, non autem formaliter*. Denique proprium strictè tale aliud est genericum, aliud specificum. *Genericum* est, quod convertitur cum specie subalterna, & ex prædicato generico profluit, ut *progressivum, appetitivum respectu animalis*. *Specificum* est, quod convertitur cum specie, & ex prædicato differentiali profluit, ut *visibile respectu hominis*.

339. *Dico 2.* Proprium, ut est quartum universale, definitur sic: *Unum aptum inesse & prædicari de multis specie vel numero differentiis in quale necessariò*. Bona est hæc definitio, quia convenit omni & soli proprio strictè tali. Dicitur autem *1, de multis*, i. e. inferiorio-

ferioribus subjectis, vel denominatis. Dicitur 2. *specie vel numero differentibus*, quia proprium genericum prædicatur de speciebus; *specificum* autem de individuis. Dicitur 3. *in quale necessario*, per quæ verba distinguitur à reliquis universalibus. Adverte, quod data modo definitio concernat proprium quarto modo, & secundò intentionaliter sumptum, pro quarto scilicet universali.

340. *Dico 3.* Proprium est quartum universale respectu inferiorum speciei, non autem respectu ipsius speciei. *Ratio primi* est, quia respectu inferiorum speciei proprium est superius, & magis latè patens. *Ratio secundi* est, quia proprium cum specie convertitur; igitur respectu ipsius speciei non est superius, adeoque nec universale.

341. *Obj.* Dum dico: *Homo est visibilis*, τὸ *visibile* prædicatur in quale necessario; ergo respectu speciei prædicatur ut quartum universale. *R. N. Conf.* Prædicatur quidem ut proprium, sed non ut universale, quia non est quid superius respectu hominis. *Si ais:* Dum dico: *Homo est appetitivus*, τὸ *appetitivus* non solum ut proprium, sed etiam ut universale prædicatur respectu hominis; ergo etiam in altera prædicatione τὸ *visibile* sic prædicabitur. *R. N. Conf. Disp.* est, quia τὸ *appetitivum* est proprium genericum, quod est universale respectu inferiorum generis, seu speciei subalternæ; inferiora autem generis, ni-

mirum animalis, sunt species, *Homo, Equus* &c. Econtra *risibile* est proprium *specificum*, quod est universale respectu inferiorum speciei, nimirum hominis, quæ sunt individua v. g. *Petrus, Paulus* &c. *Si reponas.* Risibile convenit individuis tantum per accidens, quia mediante essentia emanat ab individuis; ergo respectu eorum nequit esse quantum universale. *R. N. ant.* quod ratio addita non probat sufficienter. Hoc ipso enim quod risibile conveniat individuis ratione naturæ vel speciei, non convenit illis per accidens; quandoquidem immediatè connexum est cum essentia, & ex ea fluit. Sicut igitur Petrus est homo per se, sic quoque risibilis est per se. *Si urgeas.* Quod est proprium nequit esse commune; ergo nec universale. *R. D. ant.* Nequit esse commune respectu ejusdem termini, respectu cuius est proprium, & eodem modo. *C.* Nequit esse commune diverso modo, & respectu alterius. *N.* Sic *risibile* proprium est respectu speciei, cum quâ convertitur; commune autem est respectu individuorum, cum quibus non convertitur.

342. *Reflexio I.* Proprium primariò convenit speciei, secundariò & ratione speciei convenit individuis vel inferioribus; sic *risibile* non convenit Petro, quia Petrus est, sed quia homo est. Econtra accidens primariò individuis, & ratione individuorum speciei convenit; nam ideò homo currit, quia Petrus currit. Horum ratio est, eoquòd proprium

prium immediatè connexum est cum essentia tanquam radice sua, non autem accidens. II. Proprium respectu suorum inferiorum, i. e. hujus & illius risibilis, est secundum universale. III. Proprium physicum prædicatur *in concreto*, non *in abstracto*; sic benè dico: *ignis est calidus*; malè autem dicerem: *ignis est calor*. Ratio est, quia proprium physicum realiter ab essentia distinguitur. Aliter loquendum est de proprio metaphysico realiter indistincto àb essentia.

§. II.

Quid & quotuplex sit Accidens, & respectu quorum sit quintum universale.

343. Dico 1. Accidens in genere dicitur, quod advenit rei in suo esse substantiali constitutæ. Aliud est *separabile*, quod naturaliter, & facilè à subjecto avelli potest, sine ejus corruptione, ut *albedo à pariete*. Aliud est *inseparabile*, quod separari à subjecto non potest, vel ægrè admodum, sine ejus corruptione, ut *nigredo à corvo*. Propterea tamen ejusmodi accidens non transit in proprium; quia, licèt realiter separari à subjecto non possit, quin illud destruat, potest tamen separari per mentem, i. e. negari, quin subjecti essentia pereat. *Nec obstat*, quod hæc propositio: *Nix non est alba*, falsa sit; nam falsa tantum est, si intendam negare albedinem inesse nivi; vera autem est, si negem albedinem pertinere ad essentiam nivis. Econtrà

proprium præscindi quidem potest, sed non negari de essentia, quin pereat saltem consequivè. Præterea accidens dividitur in physicum & logicum. *Physicum* sive *prædicamentale* est ens in alio, tanquam in subiecto inhesionis. Ejusmodi accidentia sunt opposita substantiæ, collocanturque in reliquis novem prædicamentis. *Logicum* est prædicatum contingens subiecto, sive hoc sit substantia, sive aliquid positivum, sive negativum, sive sit aliquid realiter identificatum, nostro tamen concipiendi modo superveniens alteri. *Adverte*, huc etiam revocari morbum, mortem, combustionem alicujus rei; licet enim hæc, & similia adesse rei non possint sine corruptione essentiæ physiciæ, adsunt tamen sine corruptione essentiæ metaphysiciæ, quæ est ab æterno; huic enim essentiæ metaphysiciæ ejusmodi accidentia nec conferunt, nec ab ea tollunt aliquid. Et hic est sensus definitionis, quæ dicit: *Accidens est, quod potest adesse vel abesse sine subiecti corruptione.*

344. *Dico 2.* Accidens, ut est quantum universale, est *unum aptum inesse, & prædicari de multis specie vel numero differentibus in quale contingenter.* Tò quale indicat accidens non esse partem essentiæ inferiorum. Tò *contingenter* significat accidens non necessariò inesse illi, de quo prædicatur, nec convertibiliter de illo prædicari posse; hæc duo proinde faciunt accidens differre à reliquis quatuor universalibus. Præterea benè observes necesse est, quod

quod hic definiatur accidens *in concreto*, non *in abstracto*, v. g. Album, non albedinem: Nam albedo de suis inferioribus, vel albedine A. B. C. prædicatur essentialiter, & ut species; de subjectis vero prædicari in recto non potest; malè enim diceret: *Paries est albedo*, bene autem sic: *Paries est albus*.

345. *Dico 3.* Accidens commune est quintum universale respectu subjectorum, quibus inest, v. g. *album* respectu *nivis, lactis &c.* *Ratio est*, quia respectu horum est quid superius, & contingenter de illis prædicatur. Si enim prædicetur accidens de inferioribus directis, v. g. Nigredo de hac & illa nigredine, non prædicatur contingenter, ut modò suprà observatum est; si verò accidens ut sic prædicetur de speciebus, v. g. *color* de *albedine & nigredine*, rursus non prædicatur contingenter, sed *in quid incompletè*, & ut genus; igitur non nisi respectu subjectorum, sive inferiorum indirectorum, aut denominatorum quintum prædicabile esse potest.

346. *Obj.* Accidens est ens in alio; ergo necessariò inest subjecto, & potiùs proprium, quàm accidens respectu subjecti dicendum est. *R. D. Conf.* Necessaryò inest subjecto, quantum est ex parte accidentis. C. quantum est ex parte subjecti. N. Ad proprium autem strictè tale requiritur, ut subjecto conveniat necessariò tam ex parte sui, quàm ex parte subjecti essentialiter sumpti. *Inst. 1.* Accidens non inest subjecto per identitatem; ergo respectu

spectu subjecti nequit esse quintum prædicabile. *R. D. ant.* Accidens in abstracto, sive quoad obliquum non inest per identitatem. *C. in concreto, sive quoad rectum.* *N. Inst. 2.* In reliquis universalibus est adæquata identitas; ergo etiam in accidente talis sit, necesse est. *R. N. Conf. disp. est,* quia reliqua universalia sunt prædicata rei metaphysica, realiter indistincta; hinc in sensu reali & in concreto, & in abstracto prædicari possunt. Econtrà in concretis accidentalibus physicis forma importata in obliquo realiter à subjecto distinguitur. *Inst. 3.* Accidens in concreto non est quid abstractum à subjectis, de quibus prædicatur; ergo respectu illorum non est universale. *R. D. ant.* Non est quid abstractum à subjectis inhætionis. *C. à subjectis contractionis.* *N. h. e.* nequit concipi album v. g. sine subjecto, concipi tamen potest absque hoc & illo subjecto; sicut concretum homo dicit quidem subjectum humanitatis, non dicit autem hoc vel illud subjectum determinatè. *Inst. 4.* Album v. g. abstrahitur tantum ab hoc & illo albo, & non à Pariete, lacte &c.; ergo non abstrahitur à subjectis. *R. D. ant.* Album, ut est secundum universale, abstrahitur ab hoc & illo albo formaliter tali. *C.* ut est quintum prædicabile. *N.* Sic enim præscinditur à subjectis, quibus albedo contingenter inest. *Inst. 5.* Album non abstrahitur v. g. à nive, ut subjectum est, sed ut alba est; ergo ut quintum prædicabile abstrahitur ab albo formaliter tali. *R. D. ant.* ut alba est

mate-

materialiter & denominativè, sive ut contingenter albedinem habet. C. ut alba est formaliter. N. Sic pariter accidens in concreto, & ut quintum prædicabile, prædicatur de hoc & illo albo, ut *materialiter* album, & subjectum albedinis est, non autem ut *formaliter* album est, sic, ut albedo sit subjectum ejusmodi prædicationis; sic enim prædicaretur ut species. *Inst. 6.* Accidens in concreto non est res unius naturæ, quia dicit substantiam sive subjectum, & accidens; ergo nequit esse universale. R. N. quod absolutè ad universale requiratur, ut sit res unius naturæ. vid. *Dialect. Tract. 1. P. 1. cap. 1. de Universali. fol. 33. n. 10. & 11.*

ARTICULUS VI.

*De Termino ultimo in linea prædicamentali,
sive de Individuo.*

Doctrinam de individuo utilem, & nullatenus prætermittendam esse, judicârunt nullo non tempore ii, qui inter Philosophos & famam, & laudem consecuti sunt immortalem. Sive enim (antiquiores lubens prætereo) S. Augustinos, sive D. Thomas, sive Scotos, sive Suaresios, aliósque benè multos, etiam recentiores pervolvam, ea, quæ ad individui notitiam faciunt, non obiter modò, sed summâ industriâ elaborata ab iis conscriptaque esse deprehendes. Hos imitaturus, de individuo breviter hîc agam, illóque materiam de universalibus concludam, quod totius prædicamenti finis est.

§. I.

§. I.

Quid & quotuplex sit individuum, & quodnam sit principium individuationis?

347. Dico 1. Individuum vel est physicum, & primointentionale, vel logicum, & secundointentionale. *Physicum* à Porphyrio describitur sic: *Quod proprietatibus constat, quarum collectio nunquam in alio erit eadem.* Eas autem proprietates intelligit, quæ versu n. 251. citato comprehenduntur. Verùm cum ejusmodi proprietates, & circumstantiæ non sint ipsa formalis ratio individuationis, ut dictum est numero modò allegato, hinc plerique Auctores magis probant definitionem D. Thomæ p. 1. q. 29. a. 4. ubi ait, quod individuum sit *indivisum in se*, h. e. unum, quod dividi nequit in plura talia, quale est ipsum. *Logicum* est ipsum individuum physicum, ut substans conceptui logico, à quo accipit denominationem individui. Hoc rursus duplex est: *Subjicibile*, quod subest speciei; & *Prædicabile*, quod de uno solo prædicari potest. Reliquas individui divisiones vide in *Dialect.* vulgata fol. 35. De *individuo vago* hæc duo solum adhuc observes velim: 1. *Individuum vagum formaliter* tale non datur à parte rei; quidquid enim à parte rei existit, determinatè existit: igitur individuum ex eo tantum dicitur vagum, quod intellectus aliquid in se determinatum cognoscat modo indeterminato, ita, ut vi hujus cognitionis non sciat, an sit determinatè Petrus,

trus, vel Paulus. Datur tamen à parte rei *materialiter*, quia verificatur per aliquid existens à parte rei. 2. Hoc individuum non est universale; exprimit enim singularitatem, & licet de pluribus prædicetur, non verificatur tamen in pluribus, sed in uno tantum; hinc non *distributive*, ut universale requirit, prædicatur, sed *disjunctivè*. *Nec inferas* ex his, quod ergo falsa sit hæc propositio: *Aliquis homo currit à parte rei*. Nam *nego illat*. Cum per ejusmodi propositionem non significetur, cursum indeterminatum hominis indeterminati esse à parte rei; sed cursum, & subjectum currens indeterminatè cognosci.

348. *Dico 2.* Res constituitur *intrinsecè* in ratione individui per suam entitatem, prout est incommunicabilis ad plura entia completa, quæ sint adæquatè id, quod est ipsa. Est sententia D. Thomæ. Nam p. 1. q. 29. a. 1. in \odot sic habet: *Substantia individuatur per se ipsam*. Colligitur etiam ex illius definitione individui supra n. 347. cit. Ratio conclusionis est, quia nulla res esse potest hæc sua res per aliquid à se distinctum; ergo ipsa rei entitas est hæc sua res. *Confir.* Res quælibet à sua entitate *intrinsecè* habet, quod sit; ergo etiam àb ea habet, quod *hæc res sit*. Plura hinc si desideres inspice P. Lingen.

349. *Observa.* Ubi D. Thomas huic secundæ conclusioni videtur contrarius, v. g. quando dicit, rem individuari per materiam quantitate,

titate, & diversis accidentibus signatam, commodè explicari potest de principio individuationis *extrinseco*, *arguitivè tali*, & *quoad nos*, qui rerum essentias intuitivè non videmus, sed eas per accidentia discernimus.

§. II.

Utrum àb Individuis abstrahi possit ratio communis & univoca?

350. *Dico.* Potest abstrahi. *Ratio est.* Quia omnia individua conveniunt in hoc, quòd sint individua, quòd sint indivisum in se, quòd de uno solo prædicari possint &c. Sicut plures homines conveniunt in hoc, quod sint animal rationale. *Adverte*, hanc conclusionem intelligendam tantùm esse de individuis *inadequatè* spectatis, sive quatenùs præcisè individua sunt. Quodsi verò individua *adequatè* spectentur, sive ut sunt hoc numero individuum, illud numero individuum v. g. Socrates, Plato &c. Sic abstrahi àb illis ratio communis non potest, quia ratio individui à Socrate quàm tali abstracta non nisi de uno Socrate prædicari potest. *Confirmant* superiorem conclusionem S. Thomas p. 1. q. 30. a. 4. in \odot . ubi docet, quod *τὸ Persona* sit conceptus communis respectu personarum divinarum. Joannes à S. Thoma, Hurtadus, qui *Disp. 5. Log. Sect. 7.* asserit, quòd hanc sententiam affirmet *major ac melior Philosophorum pars.*

351. *Obj.* Idem nequit esse ratio formæ lis conveniendi & disconveniendi; sed individua
tio

tio est ratio formalis disconveniendi; ergo nequit esse ratio conveniendi, & universale. **R. D. min.** Individuatio contracta est ratio formalis disconveniendi. **C.** Individuatio abstracta. **N.** Petrus formaliter differt à Paulo per hoc, quod sit *hoc individuum*, Paulus sit *illud individuum*; at non differunt inter se per hoc præcisè, quod quilibet eorum sit individuum. Ex his colligis, quod idem possit esse ratio formalis conveniendi, & disconveniendi *sub diverso conceptu*. **Si ais.** Nequit homo per differentiam specificam, nimirum *rationale*, convenire cum bruto & disconvenire; ergo nec Petrus per differentiam individualem poterit convenire & disconvenire cum Paulo. **R. N. Conf.** *Disp* est, quia brutum nec nomen, nec rationem nominis per rationale importatam participat. Econtra Petrus & Paulus participant idem nomen individui, & eandem hujus nominis rationem, cum quilibet sit indivisus in se &c. **Si postules** ad quod universale pertineat ejusmodi ratio àb individuis abstracta? **R.** reducitur ad *Proprium*, cum sit unum aptum prædicari de pluribus specie vel numero differentibus in quale necessariò, ut si dicam: *Petrus est individuum, Paulus est individuum, Bucephalus est individuum*. In his autem prædicationibus: *Hoc individuum est individuum, illud individuum est individuum*, ad speciem reducitur &c.

352. **Obj. 2.** Si àb individuis abstrahi possit ratio communis, ergo etiam abstrahi poterit

terit

terit ab hæceitatibus; consequens admitti non potest; ergo nec antecedens. *Prob. Sequel.* Etiam hæceitates conveniunt in hoc, quod sint hæceitates; ergo ab iis quoque abstrahi poterit ratio communis hæceitatis ut sic. *R.* cum P. Lingen: Poteris id omninò facere toties, quoties tibi placuerit, modò tibi, tuoque cerebro nullum afferas nocumentum quod lædere in ejusmodi materia, quæ plus speculationis, utilitatis verò nihil, aut certè parum admodùm habet, nemo æqui bonique consulet. *Si postules*, quid ergo abstrahatur in hoc casu, & à quo? *R.* abstrahitur ratio individuationis, quam actus attingit, ab hæceitate individuationis, quam relinquit intactam. *Si inferas.* Ergo ratio communis individui erit universalis, & consequenter individuum erit Universale, quod implicare videtur. *R.* Hoc non magis implicat, quàm quòd ab hominibus singularibus abstrahi possit natura communis, quæ sit verum universale.

